

Animarum partim intra partim extra civitatem, resident in civitate cum deputatione tamen Vicarii Curati in alia Ecclesia suburbicaria. Cumque anno 1580 Communitas Terrae Paganicae contenderet, Archipresbyterum Ecclesiae s. Mariae de Paganica (quae est una ex praedictis Collegiatis intra civitatem existentibus) residere debere non in ipsa civitate una cum suo Capitulo, sed in unita Ecclesia dictae Terrae Paganicae, testatur in suis literis Episcopus decrevisse hanc S. C. Archipresbyterum residere debere in civitate uti loco dignori. Et haec resolutio verisimiliter est illa quam commemorant Garz. de benef. par. 3. cap. 2. n. 179. sub 15. Resol., Barbos. de Offic. Paroc. par. 1. cap. 8. n. 10.

Recognosci etiam poterunt aliae resolutiones ejusdem S. C., quae habentur apud Fagnan. in cap.: Extirpandae a n. 30. ad 34. de Praeben., ex quibus colligi videtur, quod, si parochialis Ecclesia sit unita praepositurae vel alteri Dignitati curatae, residentia fieri debeat in praepositura tamquam digniori; si quae sint duae Ecclesiae parochiales invicem unitae, residendum sit in magis digna; si una fuerit extra et altera intra Urbem, residendum sit in ea, quae est intra.

Quantum vero attinet ad quaestionem, quae vertitur circa distributiones, cautum habetur in Sac. Conc. Trident. sess. 22. cap. 3., quod, si alicui Dignitati in Cathedrali vel Collegiata Ecclesia imminet cura animarum extra civitatem in dioecesi, is qui talem obtinet Dignitatem, pro tempore, quo in Ecclesia curata residet, perinde habeatur, ac si Divinis intersit in Ecclesia Cathedrali vel Collegiata pro perceptione omnium fructuum ac etiam distributionum, in quas tertia pars fructuum divisa fuerit, nisi obstet statutum vel consuetudo aliquid amittendi.

At s. Pius V. in Constit. 65. sancivit eum, qui ex dispensatione apostolica retineat Ecclesiam parochialem cum Canonatu vel Dignitate in alia Ecclesia, fructus omnes Canonatus posse percipere, dum residet apud parochialem, non tamen distributiones quotidianas et alia, quae percipi non solent ab absentibus ex justa causa. Consonant itidem plura hujus S. C. decreta, quae referuntur apud Garz. de benefic. par. 3. cap. 2. n. 185. et seq., Pignatell. consult. 114. n. 59. et consult. 115. n. 35. tom. 9.

Quanam autem ratione conciliari possit dispositio S. Conc. Trid. cum Piana Constitutione, tradit Monet. de distr. quot. par. 2. quaest. 11. n. 69. et seq.

Denique in Melevitana Divinorum Officiorum proposito dubio: An parochus, qui simul erat de Collegio beneficiatorum, impeditur ratione Curae, deberet haberi pro praesente ad effectum lucrandi distributiones?

S. C. die 29. Jan. 1718 respondit: Negative.

Duo itaque, quae sequuntur, dubia erunt decidenda:

1. An Archipresbyter Ecclesiae Collegiatae et parochialis s. Pauli Baretis intra civitatem teneatur residere in dicta Ecclesia sive potius in Ecclesia parochiali s. Pauli extra civitatem juxta decretum anni 1697? Et quatenus affirmative quoad secundam partem,

2. An eidem Archipresbytero competant distributiones quotidianae perinde ac si interesset Divinis Officiis in dicta Ecclesia Collegiata intra civitatem in casu?

S. C. C. resp.: Affirmat. ad 1. part., negative ad 2.

Die 2. Junii 1731; 5. Apr. 1732.

Continuatio ejusdem causae Aquilan.

Huic resolutioni minime acquiescentes Archipresbyter et parochiani, qui suburbanae Ecclesiae subsunt et aegre ferunt Parochum a se abstrahi, modo eam revocari ad novi examinis trutinam flagitant.

Porro canonicae disciplinae instituta postulare videntur, quod Archipresbyter potius resideat suoque Officio consentaneas functiones obeat in Ecclesia Collegiata, quae intra civitatem existit, quam in suburbana Ecclesia, cum illa dignior sit atque praestantior. Rescripsit enim Innocentius III. in cap.: *Extirpandae*. §.: *Qui vero de Praebend.* his verbis: Qui vero parochialem habet Ecclesiam, non per Vicarium sed per se ipsum illi deserviat, in ordine quem ipsius Ecclesiae cura requirit: nisi forte dignitati vel praebendae parochialis Ecclesiae sit annexa, in quo casu concedimus, ut, qui talem habet praebendam vel Dignitatem, cum oporteat eum in majori Ecclesia deservire, in ipsa parochiali Ecclesia idoneum et perpetuum habeat Vicarium canonice institutum, qui (ut praedictum est) congruentem habeat de ipsius Ecclesiae proventibus portionem.

Quamvis autem in hypothese hujus textus agi videatur de Ecclesia parochiali subjective et accessorie unita praebendae alterius Ecclesiae, cujus proinde membrum fuerat effecta, ut etiam explicat Imol. ibid. n. 8. et 9., Ancharan. n. 6., Butr. n. 5., Fagnan. n. 32.

Quae quidem conditio non congruit suburbanae Ecclesiae s. Pauli de Baretis, quae non est subjective et accessorie unita Archipresbyteratui Collegiatae Ecclesiae intra civitatem existentis. Nihilominus alia urget ratio postulans Archipresbyteri residentiam in Eccle-

sia Collegiata, scilicet quia haec non solum est major ac dignior ob hujusmodi Collegialitatem, sed ipsa quoque est parochialis; proindeque cum lex residendi apud Ecclesiam suburbanam ex uno tantum titulo parochialis muneris dimanet, ad habendam tamen sedem in alia Ecclesia, quae intra civitatem est, rector gemino obstringitur vinculo, hoc est tamquam parochus et tamquam caput Collegii Divina Officia quotidie obeuntis in choro. Ergo cum ambae Ecclesiae, de quibus sermo est, sint parochiales et ratione hujus tituli sint pares ac parem residendi necessitatem imponant, praevalet tamen ac potior est illa, quae intra civitatem existit, quia collegialitatis honore aucta et Dignitate Archipresbyteratus insignita et servitium in choro obeundum exigens. Quamobrem in hac esse potius residendum quam in altera deducitur tum ex rescripto, quod ab hac S. C. prodiit anno 1580, ut in lib. 2. decret. p. 170 et seqq., tum etiam ex decisione similis controversiae alias edita in causa *Abulen.*, cujus meminit Fagnan. in d. cap.: *Extirpandae n. 31. de Praeben.*

At Communitas Castri Baretis respondet, praecipuum decidendi rationem sumendam esse a majori necessitate et utilitate animarum, quae pastoris curae commissae sunt. Si enim Archipresbyter resideat in Ecclesia existente intra civitatem, perexiguam administrabit parochiam; fungetur quippe Officio parochi in sex et viginti personas adscriptas servitio ejusdem Ecclesiae, itemque in alios fortasse triginta laicos, qui parochiali jure eidem Ecclesiae subjecti sunt. At vero suburbana parochia late patet; octo continet Villas non mediocri disjunctas intervallo et quadraginta supra mille capita complectitur. Plane igitur sequitur pastoris praesentiam, vigilantiam longe magis necessariam ac fru-

ctuosam fore in suburbana Ecclesia quam in altera Urbana.

Caeterum illud etiam est animadvertendum, quod in Ecclesia parochiali suburbana jam est constitutus Vicarius perpetuus, qui nunc auxiliariam operam praestat Archipresbytero, ac praeterea intra fines ejusdem suburbanae parochiae residet apud Ecclesiam s. Vito dedicatam capellanus adjutor parochi in Sacramentis administrandis.

His itaque iterum perpensis deliberandum erit:

1. *An sit standum vel recedendum a decisio die 5. Apr. proxime praeteriti? Et quatenus recedendum,*

2. *An Archipresbytero competant distributiones quotidianae, perinde ac si interesset Divinis Officiis in Ecclesia Collegiata in casu?*

S. C. C. resp.: In decisio; et amplius et ad mentem.

Die 19. Julii 1732.

5) Capellani.

Vd.: *Resid.* (Benef., Sacerdot. auxil.)

Amerina.

Cum in Castro Alviani Amerinae dioeceseos tanta sit inopia Sacerdotum, ut coactus fuerit Episcopus postulare atque obtinere facultatem, ut sacra, quae in Ecclesiis ejusdem Castri agenda erant, alibi agi possent, durante Sacerdotum inopia: hinc cum Ignatius Torretti, qui natus erat in eodem Castro et Romae in Pamphilio Collegio studiis operam dabat, postulasset clericali militiae adnumerari, Episcopus eum parochiali Ecclesiae Alviani adscripsit et literas dimissoriales ei dedit, expressa causa necessitatis ejusdem Ecclesiae, ut minores Ordines suscipere posset. Nominatus fuit Ignatius ad capellaniam manua-lem in Templo Divi Ignatii Urbis et impetravit ab hoc Sacro Tribunali ejus

perpetuationem, ut ad hujus capellaniae titulum ad Sacros Ordines promoveretur, sicuti promotus fuit, repetita ab Episcopo in literis dimissoriis necessitate Ecclesiae parochialis Alviani. Sacerdos factus Ignatius post duos menses, quibus Alviani moram traxerat, veniam petiit ab Episcopo, ut Romam accederet; negavit Episcopus eique ore praecepit, ne discederet, indicta poena suspensionis ipso facto incurrendae. Discessit Ignatius Romamque repetiit Sacroque huic Tribunali preces hac de re obtulit; cum, ut fieri solet, epistola ad Episcopum data fuisset, dicitur ei redditam non fuisse; secundae epistolae respondit negans posse Ignatium Romae consistere sed teneri eum praecepto obtemperare et Alvianum repetere, quod ejus Ecclesiae servitio adscriptus sit, atque incidisse in poenas conciliares neque excusari posse sive colore capellaniae sive praetextu studiorum, quod et studia, quantum satis sit necessitatibus populi illius Castri, compleverit et capellaniae servire possit per substitutum. Causa nunc duobus collecta capitibus definienda proponitur.

Disputat Promotor Fiscalis a Tridentino post Calcedonense Concilium definitum fuisse, ut Clerici, qui pro necessitate aut utilitate Ecclesiae ordinati fuerint, ejusque servitio adscripti, sine expressa Episcopi venia discedere nequeant et, si locum inconsulto Episcopo deseruerint, Sacrorum exercitio interdicantur: confirmatum id Concilio Romano tit. 6. cap. 6., atque ita pluries ab hoc Sacro Tribunali judicatum fuisse contra eos, qui discedere voluerunt, ut in *Senogallien.* 19. Aug. 1579, in *Ducalis* 6. Sept. 1593, in *Ostunen.* 20. Jan. 1616, in *Anconitana* 14. Feb. 1609, in *Terraconen.* 9. Febr. 1621, atque alibi; neque audiendos esse adductos a *Barbos.* a Concil. sess. 23. cap. 16.

de Ref. et de Offic. et potest. Episc. par. 2. alleg. 21. n. 5. et 6., qui tradunt Clericos et Sacerdotes, qui non habent beneficium in titulum praecisam et personalem residentiam requirens, discedere posse et ire quo velint, neque Episcopos his literas dimissorias denegare posse, cum reproberentur a *Fagnan.* in cap. *Admonet* n. 15. et 37. de Renunciat., quia Clerici servitio alicujus Ecclesiae adscripti et pro ejusdem Ecclesiae necessitate seu utilitate ordinati habentur tanquam servi aut coloni glebae addicti, qui sine Domini venia fundum deserere nequeunt, neque discedere possunt ab Ecclesia et recedere ab obligatione cum ea contracta, ideoque potest Episcopus literas dimissorias eis negare, *Menoch.* de arbitrar. cas. 422. n. 3., *Garzia* de benef. par. 2. cap. 5. n. 102., *Antonell.* de jur. et oner. cleric. cap. 8. lib. 2. par. 6. n. 2. Ex his colligitur Ignatium Torrettum, qui servitio parochialis Ecclesiae Alviani adscriptus fuit et pro ejusdem Ecclesiae necessitate ordinatus, non posse ab ea discedere, invito Episcopo, praesertim eo veniam ex necessaria causa inopiae Sacerdotum denegante, et quia praecepto Episcopi non obtemperaverit, in poenam interdictionis sacrorum incidisse. Haec atque alia promotor fiscalis. Ab Ignatio nihil habuimus.

Duo sunt causae capita:

I. An Sacerdos Ignatius Torretti adscriptus servitio parochialis Ecclesiae Alviani et pro necessitate ejusdem Ecclesiae ad Sacros Ordines promotus titulo capellaniae obtentae in Ecclesia s. Ignatii Urbis sibi a S. C. perpetuatae potuerit contra formam praecepti Episcopi ab eadem Ecclesia discedere et valeat hic in Urbe permanere?

II. An et in poenas conciliares sibi intimatas inciderit in casu etc.?

S. C. resp. ad I.: Negative assignata congrua per Episcopum.

Ad II.: Consulat conscientiae suae.

Die 8. Maii 1756.

6) Cardinalium.

Vd.: *Resid. Episcop.* (Constit. Bened. XIV.: *Ad universae.*); *Rotulum.*

7) Causae absentiae.

Vd.: *Resid. paroch.* (tempus, licentia; Infirmitas); *Resid. Episcopi* (oblig., causae etc., Constit. Bened. XIV.; *Ad universae etc.*)

8) Causativa et praecisa.

Vd.: *Resident. praecisa et caus.*

Residentiam non *causativam* (scil. qua non servata sit locus omissioni emolumentorum beneficio residentiali destinatum) sed *praecisam* (i. e. qua non servata sit locus omissioni tituli ac privationi) incompatibilitatem inducere.

S. C. C. die 3. Mart. 1703 *Ferrariens.* 27. Mart. 1707.

9) Coadjutorum Canonic.

Vd.: *Coadjut. Canon.* (resid.); *Residentia* (parochi, oblig.)

10) Commendatarii.

Commendatarii non tenentur residere, *Primo*: si monasteria carent omni prorsus cura et conventu. *Secundo*: vel si habeant tantum Jurisdictionem temporalem. *Tertio*: si vel cura animarum sacramentalis soli conventui incumbit, non autem personae commendatarii. *Quarto*: si vel Jurisdictionem spirituales, quam ex concessionem Sedis Apostolicae habent, non possint actu exercere, quia de facto prohibentur. *Quinto*: amplius licet Jurisdictionem

spiritualem exercent, non ideo tam tenentur residere ex hoc Concilii decr. *sess. 23. cap. 1. §.*: *Eadem omnino*, quod licet exprimat de curatis et aliis quibuscumque beneficiis animarum curam habentibus, quae verba ad solam quoque Jurisdictionem spiritualem referri possent, cap. *Dudum* et cap. *Multae* et *extravag. Execrab.* d. c. Super eo, tamen intelligendum est, de sola cura animarum sacramentali et ideo, qui solam curam Jurisdictionis spiritualis habent, non comprehenduntur in decreto neque poenis in eo inflictis subjacent sed tantum poterunt cogi residere, prout ante Concilium tenebantur, ad terminos cap. *Dudum* in 6. et d. cap. *Super eo* et d. *extravag. Execrab.*, ad quod etiam jus vetus videtur Concilium alibi se retulisse. Si vero cura animarum sacramentalis seu monachorum seu personarum saecularium incumbit personis commendatariorum, tenebuntur residere ex decreto *Conc. sess. 23. cap. 1.*

Declar. S. C. C. Interp. ad verba Concilii Tr. *sess. 6. cap. 2.*: *In titul. et commendam etc.* (Ed. Gallemart. 1781 p. 81.)

11) Dispensatio.

a) Causae.

Vd.: *Resid. Episcopi* (oblig., causae excus., Constit. Bened. XIV.).

b) Episcopi facultas.

Vd.: *Resid. Benef.* (Oblig. decr. die 14. Dec. 1833; 13. Julii 1743.)

Non datur facultas Ordinariis dispensandi a residentia ex quavis ratione per verba S. C. Tr. *sess. 6. cap. 2.*: *Expediens videbitur etc.*

Declarat. S. C. C. Interp. (Ed. Gallemart. 1616 p. 28.)

12) Episcopi.

a) Qui simul Canonat. obtinet.

Vd.: *Resid. Canon.* (Qui simul Episcop. obtinet etc.)

b) Ad Cathedr. suam.

Vd.: *Resid. Episcopi* (Oblig., causae etc. Constit. Bened. XIV.; locus et modus.).

S. C. C. teste Pignatello Consult. *Canonic. tom. 7. consult. 64. n. 15. et 16.* ita censuit et declaravit his verbis: „Posito decreto Concilio Tridentini cap. 1. *sess. 6. et cap. 1. sess. 23.*: An Episcopi temporibus praescriptis in d. *cap. 1. sess. 23. vers. eosdem interim admonet etc.*, in Ecclesia sua residere teneantur, an vero satis sit, ut in *diocesi* resideant? S. Cong. etc. articulo hujusmodi accurate discusso censuit: Episcopus temporibus, ut supra praescriptis, teneri in Ecclesia Cathedrali residere nec satis esse, ut in *diocesi* resideant, ita ut aliter suae obligationi non satisfaciant, nisi episcopalia munia in sua *diocesi* eos alio vocent. Caeterum non incidere in poenas a Sancta Synodo Episcopis non residentibus inflictas, dummodo in *diocesi* resideant.“ Eademque S. C. die 3. Sept. 1622 in una *Cassan.* censuit: Episcopum, si non accedat ad Cathedralium temporibus a Concil. praescriptis, licet male faciat, non tamen incidere in privationem fructuum impositam a d. Concil. contra non residentes. Apud *Nicolum* in *Flosc. v.*: *Episcopus* n. 39. Et in *Urgellen.* residentiae disceptato ad preces Capituli dubio. „An in casu, quo Episcopus non resideat in Cathedrali temporibus praescriptis a S. C. Tr., veniat puniendus, qua poena et a quibus in casibus?“ sub die 5. Sept. 1705 rescriptum fuit: dilata et ad mentem, quae, ut inquit Scarfantionius ad *Cecoper. elucub. Canon. t. 3. addit. 17.*

n. 7., ubi d. resolutionem refert, probabiliter fuit, Episcopum per literas monendum esse de sua obligatione ad formam ejusdem Concilii, non vero alicui poenae esse obnoxium. Ita in terminis in *Thesaur. resolut. S. C. C. tom. 9. part. 2. p. 8 et seq.*

Episcopum teneri saltem diebus a *Conc. Trid. sess. 23. cap. 1.* de Ref. praescriptis residere in Ecclesia Cath. ibique s. functiones explere.

S. C. C. die 13. Aug. 1650 *Valven.*; 5. Sept. 1705 *Urgellen.*; 3. Sept. 1740 *Calagurit. et Calceaten.*

c) Extra civitatem episcopalem.

Aliphana.

Ob exiguum inhabitantium numerum et loci incommoditatem Episcopi Aliphani jam antea residere plerumque consueverunt in Oppido Pedemontis tribus vere passuum millibus a civitate Aliphi distante hancque porro residentiam firmiter inibi fixerunt ab anno 1688, quo tempore vi ingentis Terrae motus civitas illa maximum passa fuit excidium et praesertim Ecclesia Cathedralis funditus eversa corruit. Constructa tamen eadem Ecclesia a fundamentis sumptibus Universitatis usque ab anno 1692 institutum fuit in S. C. C., ut Canonici ejusdem Cathedralis, quibus per modum provisionis ad recitanda Divina Officia assignata fuerat loco Cathedralis altera ex Collegiatis Ecclesiis Oppidi Pedemontis, cogerentur redire ad officium in eadem Ecclesia Cathedrali jam constructa, hinc proposita causa sub die 24. Jan. 1705 fuit resolutum: esse cogendos praefatos Canonicos ad residentiam et officiaturam in d. Cathedrali. In hujus rescripti sequelam curavit Episcopus, ut Canonici proprio muneri satisfacerent residendo in eadem Cathedrali,

ipse tamen eam dereliquit in maximum praedictum cultus Divini, continuando suam residentiam fere semper in Oppido Pedemontis. Quapropter Capitulum recurrit ad hanc S. C., ut dignentur EE. PP. decernere, teneri Episcopum ad formam dispositionis Sacri *Conc. Trid. cap. 1. sess. 23.* de Ref. personalem residentiam facere in civitate Aliphana apud suam Cathedralium, saltem tempore Adventus, Quadragesimae aliisque solemnioribus; proindeque sequens dubium EE. VV. definiendum proponitur: *An et quomodo sit in praemissis consulendum?*

S. C. resp.: Dentur decreta s. Cong. *Conc. hac* in re edita et signanter sub die 24. Nov. 1622.

Die 29. Febr. 1712.

Stagnen.

Pluribus adductis rationibus in folio distributo in praeterita Cong. habita die 23. Dec. anno 1710 supplicavit Episcopus pro Indulto abessendi in mensibus Maji et sequentibus usque et per totum mensem Novembris quolibet anno a civitate Stagni, ita tamen, ut residentiam perageret in civitate Ragusina inde distante solummodo per 25 milliaria; cui petitioni Sac. Cong. annuit pro mensibus aestivis et autumnalibus, comprehensis conciliaribus ad triennium, et facta relatione SS. D. N., idem approbavit resolutionem pro anno exinde subsequenti, ita ut deberet quolibet anno praefati triennii denuo recurrere pro simili Indulto reportando. Cumque denuo recursum habuerit idem Episcopus ad eundem SS. pro habendo Indulto praefato sua vita durante, Sanctitas Sua remisit instantiam ad hanc S. C. quam hodie Orator humillime exorat cum libello novis juribus fulcito, pro concessione saepedicti Indulti sua vita naturali durante cum favorabili responso ad infrascriptum

tum dubium: *An et quomodo Oratoris precibus si annuendum?*

S. C. resp.: Gaudeat impetratis nempe ad quatuor menses comprehensis conciliaribus pro praesenti anno.

Die 29. Febr. 1712.

d) Extra suam Dioecesim.

I. Non licita.

Alerien.

(Conc. Tr. sess. 6.; sess. 23. cap. 1.)

Tota dioecesis Alerien. in Insula Corsicae bellorum calamitate devastata et natura ipsa inculta et efferata haud patitur, ut Episcopus tuto et commode in ea commorari valeat, nullumque locum habet, in quo clerus et populus congregari possit. Omnes fere Antecessores Episcopi, qui in ea domicilium figere aggressi sunt, in adversam valetudinem inciderunt. Regionis solitudo et gentis indoles asperrima praejudicium non modicum ac periculum maximum invehit dignitati et auctoritati Episcopali. His quippe ac aliis causis adductus san. mem. Pius V. suo motu proprio ac ex certa scientia bon. mem. Alexandro Paulo tunc Episcopo Alerien., ut extra praefatam Aler. dioecesim in Oppido nuncupato Della Bastia dioecesis Marianen. non procul a d. dioecesi Alerien. distante, ac ad justitiam administrandam et ad pericula evitanda ac Dignitatem tuendam opportuno, resideret et commoraretur, concessit et indulgit. In eoque Oppido, in quo ex antiqua consuetudine Tribunal Curiae Alerien. stare et exerceri consuevit, Pontifex prae laudatus eidem Episcopo Paulo Curiam et Tribunal Episcopale in spiritualibus et temporalibus instituendi, retinendi, functiones Ordinum jurisdictionemque in omnibus causis cujusvis licentia desuper minime requisita in suos proprios dioecesanos tantum, citra praejudicium caeterorum

Episcoporum, caeteraque omnia perinde, ac si in propria dioecesi existeret, peragendi et exercendi facultatem et potestatem fecit. Cum autem hodie dioecesis praedicta Alerien. ex temporum injuriis subsequitis majoribus calamitatibus conflictetur, cum in ea deficiant medici et medicamenta, omnium rerum penuria versetur, continuae caedes committantur, ita ut quam durissima evaserit Episcopi residentia, idcirco modernus Episcopus Alerien. Raphael Raggius humiliter supplicavit SS. D. N. precibus ad hanc S. Cong. remissis pro gratia similis praememorati Indulti concessi a s. m. Pio V. Episcopo Paulo.

Requisitus informare Episc. Marianen. retulit Terram Campolaurei, in qua resident Episcopi Alerien., trigesimo a supradicto Oppido Bastiae distare miliario, distantiam vero, quae est ab ultimis finibus d. dioecesis ad dictum Oppidum Bastiae, minorem asserit quam a loco Campolaurei, ut ex notula, quam transmisit. Caeterum omnia recensita in precibus Oratoris veritate niti et eadem fere esse, quae narrata fuerunt in praemisso Brevi s. m. Pii V., asseveravit. Censuit itaque indulgendum petitioni ipsius Oratoris, dummodo tamen, quoties voluerit Jurisdictionem exercere, petat licentiam ab Ordinario Marianen, quemadmodum huic sensui inquit sese conformasse eundem Alerien. Antistitem. Quapropter preces reiterat Orator coram EE. VV. cum sequenti dubio:

An et quomodo Oratoris precibus sit annuendum?

S. C. C. resp.: Negative.

Die 29. Febr. 1712.

Quum Episcopus Gurcensis petiisset indultum, ut praeter tres menses a Conc. Trid. concessos per alios tres menses in praedio ab ipso cum aliis bonis empto in dioecesi Salisburgensi sito ei habitare liceret, quamvis prae-

dium illud dioecesi ejus conterminum esset et facillime se ex eo s. functionibus vacare posse affirmaret, S. C. resp.: Negative. Die 19. Febr. 1718.

II. Licita.

Delatae fuerunt preces ad Sac. Cong. Episc. et Regularium referentes Episcopum Campanien. et Satrianen. in provincia principatus citra regni Neapolis a pluribus annis Neapoli commorari in maximum praejudicium dioecesis derelictae, retinendo in illius gubernium Vicarium generalem civem ac juvenem, ac remissa Instantia quoad punctum residentiae ad hanc Sac. Cong., fuit requisita informatio secreta, ex qua elicitur Episcopum praedictum abfuisse et in praesenti abesse a sua dioecesi duobus circiter ab hinc annis moram faciendo in civitate Neapolis Podagrae et Chiragrae morbis affectum, ex quibus adjuncta gravi aetate impeditur, quominus a propria Domo discedere queat. Ex regestis Sac. Cong. nullum Indultum abessendi constat eidem Episcopo fuisse concessum. Quibus praemissis erit summae prudentiae et justitiae EE. PP. discernere:

An et quomodo in praedictis sit consulendum?

S. C. resp.: Ad mentem D. Secretario cum SSmo.

Die 29. Febr. 1712.

e) Episcopi dioecesium unitarum.

(Conc. Tr. cap. 1. sess. 6.; cap. 1. sess. 23.)

(Conc. Tr. cap. 2. sess. 24.; cap. 2. 3. sess. 25. De Ref.)

Ad dubium: An et quomodo Episcopus Cariaten. teneatur residere in Cathedrali Geruntina?

S. C. C. resp.: Negative et Episcopus curet residere etiam in Ecclesia Ge-

runtin. saltem in aliquibus diebus solemnioribus.

Die 2. Octbr. 1706, 11. Febr. et 18. Aug. 1708; 12. Febr. 1724.

Episcopum Castellanum et Hortanum in aliqua parte alterius ex dictis dioecesibus residentem suae obligationi satisfacere circa residentiam, dum tamen in aliqua ex suis cathedralibus resideat temporibus ab eodem Conc. Trid. praescriptis decreto cap. 1. sess. 23.

Die 18. Junii 1624.

Idipsum confirmavit die 13. Aug. 1650 in *Valven et Sulmen.*

Ad dubium: An Episcopus Viterb. et Tuscan. teneatur residere in civitate Tuscana per aliquod temporis spatium singulis annis?

S. C. resp.: Arbitrio et prudentiae Episcopi et ad mentem, mens est, quod scribatur Episcopo, decere interdum aliquas functiones Pontif. peragere in Ecclesia Tuscanensi.

Die 11. Jan. 1783 ad 4. *Viterb. et Tuscan.*

Ad dubium I.: An Episcopus teneatur saltem diebus praescriptis a S. C. Tr. sess. 23. de Ref. cap. 1. residere in alterutra ex cathedralibus ibique sacras functiones explere? Et quatenus affirmative;

II.: An et quibus poenis subjiciendus sit in casu non residentiae?

S. C. C. in *Calaguritana et Calceaten* die 3. Sept. 1740 censuit: teneri (ad residendum). Quod vero secundum dubium nihil respondit.

f) Locus et Modus.

Vd.: *Resid. Episcopi ad Cathedr.*

Episcopus habitare debet in Palatio Episcopali, non autem in domo Con sanguineorum.

Die 8. Aprilis 1603 *Campaniae;* 26. Aug. 1616 *Montis alti.*

Multo minus habitare cum mulieribus.
Die 15. Sept. 1618 *Messan.*; praesertim in Palatio episcopali, die 10. Nov. 1618, apud Nicolium in Flosculis verb.: *Episcopus* n. 82.

g) Obligatio, causae excusantes, poenae.

Dil. Fr. Episcopis per Gallias etc. constitutis.

Vigiliis.

Illud pari auctoritate mandamus, ne quisquam Episcoporum sine fratris Auxanii (Vicarii Sedis ap.) et coepiscopi nostri formata ad longinquiora loca audeat proficisci.

Die 21. Maii 545.

Auctoritate apost. mandamus, ut nullus sine praedicti (Vicarii apost.) formata ad longinquiora loca audeat proficisci. Anno 546.

Joannes VIII. PP. Episcopis Galliae.

Hoc vos praevideamus admonendos, ut nullus vestrum ad longinquiora loca sine praefati fratris et coepiscopi nostri Rostagni auctoritate tentet aliquo modo proficisci: scientes quia et praedecessorum nostrorum, qui vices suas ejus praedecessoribus concesserunt, sic procul dubio mandata definiunt. Hortamur praeterea, ut de Officio suo sit quisque vestrum sollicitus et qui promissam cupit patriae mercedem portionis accipere, commissum sibi gregem sollicitudine et oratione custodiat: ne lupus insidians oves creditas invadendo dilaniet et sit in retributione poena pro munere.

Die 28. Apr. 878.

(Bull. r. t. I. p. 351. Ed. Aug. Taur. 1857.)

Gregorius XI. Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Sollicitudo Ecclesiarum omnium, quibus, disponente Domino, licet insuf-

ficientibus meritis, praesidemus, animum nostrum jugiter pungit et excitat, ut illarum occuramus dispendiis et, prout nobis ex alto conceditur, utilia procuremus.

§. 1. Sane considerantes attente, quod Ecclesiarum et monasteriorum praelati ac rectores ad hoc in eis sunt positi, ut in illis personaliter resideant et commissos eis greges pascant pabulo verbi Dei, divinis vacent et faciant vacare Officiis, errata corrigant, prava compescant, deformata reformat, gubernent temporalia bona ipsorum et pauperum usibus deputata aliaque incumbentia ipsis supportent onera et ministeria exequantur. Mirari admodum cogimur et dolore, quod nonnulli ex eis, non sine gravi Dei offensa, postposita verecundia, obauditis justis suorum lamentationibus subditorum, de damnisque suarum ecclesiarum multiplicibus, tam spiritualibus quam temporalibus, non curantes, sponsas suas tanto derelinquunt tempore, quod quasi viduae reputantur, Curiamque Romanam non pro ipsarum ecclesiarum necessitatibus aut notabilibus et veris utilitatibus sed exquisitis occasionibus frequentare praesumunt, ex quibus animarum pericula, pullulatio vitiorum, dissolutorum morum incorrectio, diminutio divini cultus, ecclesiasticorum aedificiorum ruina et lapsus rerum populorumque scandala aliaque mala plurima provenire noscuntur.

§. 2. Nos igitur tot et tantis malis et periculis congruis obviare remediis cupientes universos et singulos Patriarchas Archiepiscopos et Episcopos, Abbates, Electos, Priores, Decanos, Praepositos ac Archidiaconos quarumcumque ecclesiarum ac monasteriorum ac prioratum aliosque majores in cathedralibus post pontificales et principales in collegiatis Ecclesiis dignitates obtinentes, quocumque nomine

nuncupentur, tam saeculares quam regulares, necnon parochialium ecclesiarum rectores in Curia praedicta vel prope illam per duas dietas, non tamen in locis ecclesiarum et monasteriorum suorum morantes ad praesens, exceptis iis, quos ad nostra et Romanae Ecclesiae retinemus obsequia, per nos nominatim declarandis, auctoritate apostolica tenore praesentium mandamus eis districte praecipiendo mandantes, quatenus usque ad festum Resurrectionis Dominicae proxime secuturum recedant de Curia praelibata ad commissas eis Ecclesias, monasteria et prioratus, quamcito commode poterunt, profecturi et in eis facturi personalem residentiam, ut teneantur.

§. 3. Patriarchae vero, Episcopi, Electi, Abbates, Priores, Decani, Praepositi, Archidiaconi aliaque hujusmodi Dignitates majores et principales obtinentes, ac rectores parochialium ecclesiarum, qui ad praedictam Curiam venient in futurum vel in ea ad Ecclesias et monasteria seu Dignitates hujusmodi contigerit promoveri, in illa sine nostra vel alterius, quem ad hoc duxerimus deputandum, speciali licentia, de qua per nostras aut ejusdem per nos deputandi literas constet, ultra tres menses a die, qua eandem Curiam intraverint seu promoti fuerint, numerandos, non audeant commorari, sed ad suas Ecclesias et monasteria revertantur et in eis etiam residentiam faciant, ut praefertur.

§. 4. Et ut obvietur fraudibus, ad praefatam Curiam absque dicta licentia non redeant infra annum a tempore recessus hujusmodi computandum. Si vero aliqui ex praedictis praetendant aliquam justam causam habere, propter quam in ipsa Curia habeant moram trahere ultra terminos supra dictos, illam coram nobis vel eidem

per nos ad hoc deputando infra ipsos terminos allegare ac nostrae velejusdem deputandi responsionis oraculum habere ac observare procurent.

§. 5. Alioquin omnes et singulos, qui, contra monitionem et mandatum nostra hujusmodi, in eadem Curia morari aut ad illam infra dictum annum redire, ut praefertur, praesumpserint, cujuscumque status, ordinis vel conditionis extiterint, etiamsi patriarchali, archiepiscopali aut episcopali praefulgeant Dignitate, non obstantibus quibuscumque licentiis, privilegiis seu indultis contrariis per nos vel quoscumque praedecessores nostros Romanos Pontifices concessis eisdem, etiamsi de illis et totis eorum tenoribus esset praesentibus specialis et expressa mentio facienda, quae per praesentes penitus revocamus, elapsis dictis terminis, excommunicationis sententiam incurrere volumus eo ipso, a qua, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi nequeant absque nostra vel successorum Romanorum Pontificum licentia speciali.

§. 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum mandati et voluntatis infringere etc.

Datum Avenione die 25. Januarii 1372.

(Bull. r. t. IV. p. 535. Ed. Aug. Taur. 1859.)

Vd.: Bull. r. t. V. p. 269, quod continet decretum *Urbani VIII.* de residentia; decretum *Alexd. VII.* die 26. Julii 1662 (*Ibid.* t. VIII. p. 427); decretum *Clem. XI.* de die 17. Junii 1715 (*Ibid.* t. VIII. p. 426).

Benedictus PP. XIV.

Jam scitis, fratres, divino praecepto mandatum esse omnibus animarum pastoribus, oves suas agnoscere easque verbi divini praedicatione, Sacramentorum administratione ac bonorum